

Eilhard Lubin Matthias Iselhorst

## De Immortalitate Animae Disputatio

Rostochii: Reusnerus, 1602

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756501946>

Druck Freier  Zugang



E. Lubinus.  
R. U. theol. 1602.

6







23.

ϞΥΝ ΘΕΩ  
D E  
IMMORTALITATE  
A N I M Æ

Disputatio

Quam

*In celebri Rosarum Academia*

SVB PRAESIDIO

*Clarissimi ac doctissimi viri,*

DN. M. EILHARDI LVBINI

Poeseos Professoris publici:

*publicè aspirante ac favente divini Numinis  
gratiâ defendere conabitur.*

MATTHIAS ISELHORST,  
Bilveldensis VWestphalus.

*In Auditorio Magno XXVII. die  
Martij horis matutinis con-  
suetis.*

ROSTOCHII

*Excudebat Christophorus Reusnetus*

ANNO M. D. CII.





ΕΥΝ ΘΕΩ.

DISPUTATIO

DE ANIMÆ IMMORTALITATE.

I.

**R**ecens quorundam opinio est, nullis facis firmis argumentis ex naturâ aut ratione petitis animæ immortalitatem probari posse, sed sacris literis sine ratione in hoc ipso fidem esse adhibendam.

II.

Quæ opinio licet primâ fronte pia & speciosa esse videatur, in se tamen animo humano, & Christiano cum primis prorsus periculosa & noxia est.

III.

Cum enim Christianissimis etiam animis ex imbecillitate humanâ variæ sæpe dubitationes oboriantur: Certe hoc fundamento, animas videlicet hominum immortales esse, vel sublato, vel saltem labefactato, ad extremam impietatem via longè lateq; sternitur.

IV.

Hoc enim in Ethnicorum animis ad virtutem & vitæ honestatem unicum calcar fuit, & unicum quasi retinaculum, quo minus pleriq; cum Epicuro in impietatis pelagus abrepti, aliquam Religionis, vel Superstitionis saltem speciem amplexi, licet ve-

A z

rum



rum Deum ignorarint, saltem aliquem colendum esse existimaverint.

V.

Cum autem disputatio de Animâ, eiusq; naturâ sit non ardua & sublimis solummodo, verum amplissima etiam & diffusa admodum: nos reliquis omnibus in suum locum ac tempus reiectis, Animâ immortalitatem rationibus probare adnitemur.

V I.

Principiò, quò Animæ consideratio est abstrusior, sublimior, & difficilior, hoc sui immortalitatem clariùs & evidentiùs ob oculos ponit.

V I I.

Est autem una in homine Anima, tribus facultatibus distincta, vegetali, quâ vivit, quam cum plantis, sensitivâ, quâ sentit, quâ cum brutis communem habet, Rationali quâ homo est, Quæ, ut sensitiva vegetalem, ita sensitivam & vegetalem simul includit, ut in Tetragono Trigonus, in Pentagono verò uterq; continetur.

V I I I.

Facultas huius duæ priores necessariò exercentur in & cum corpore. Rationalis verò sine corpore & esse & vivere potest.

I X.

Anima autem quid non sit faciliùs est explicare, quàm quid sit. Non est autem corpus aut corporis pars, Non enim crescit aut decrescit cum corpore, nec corporis actione aut motu interpellatur, & corpore mutilato & morbofo nihilo minus integra & sana est.

X.

Quod si corpus esset, corpus penetraret, ex quatuor

tuor Elementis esset composita, quæ mortua nihilo proxima vitam, sensum, rationem, & perennem illam animæ actionem tribuere non possunt.

XI.

Cum etiam corpus omne suâ naturâ sit passibile, anima verò propriè agat; à naturâ corporis & passione mortis alienissima est.

XII.

Corpus omne est finitæ dimensionis & capacitatis: Anima contra nullâ re finitâ definiri & impleri potest; quæ ut ignis materiæ adiectione gliscit, sic rerum cognitione redditur capacior. Vnde, quò quis doctior, hoc sibi indoctior videtur.

XIII.

Imò anima omnia corporalia quæ percipit spiritualia quasi reddit, & præterita & futura tanquam præsentia apud se reponit, sine loco, motu, tempore. Quæ si corporeum aliquid in se haberet, nullum corpus posset capere, nullum cognoscere, utpote, quæ suâ corporeâ mole impleretur.

XIV.

Est ergo formalis hominis substantia incorporea, & immaterialis, quæ ob id omnia in mundo capit, se, suasq; vires & actiones noscit, in quâ non diversa solum, verum & contraria se penetrant corpora sine ulla pugná.

XV.

Anima etiam quo magis à materiâ abstrahitur, eo firmiter & rectius intelligit, magisq; perficitur; quam abstractionem & separationem animi à corpore meditationem mortis Philosophicam Sapientes dixerunt.

## XVI.

Iam ex omnibus causis, unde rerum est interitus, nulla est quæ in animam hominis aliquid possit. Non contrarietas, quia in eâ contraria omnia contrarietatem suam deponunt; non alimenti inopia, utpote quæ pascitur, rebus incorruptibilibus: Non copia, nulla enim re satiatur: Non vis, illa enim tantum in corporeis: Non obiecti violentia; quo enim illa sublimior, hoc magis roborat & excitat mentem.

## XVII.

Materialia omnia loco, motui, tempori sunt subiecta. A quibus omnibus anima libera, utpote materiæ expers, & forma per se subsistens, quæ cum supra motum sit, moveri ad finem non potest.

## XVIII.

Mentis alimentum sunt res incorruptibiles & quasi æternæ non locis, temporibus, mutationibus subiectæ, Ratio scilicet & Veritas. Nihil autem rebus se præstantioribus alitur.

## XIX.

Homo etiam immortalitatem, eiusq; conditiones intelligit. unde immortalis esse convincitur.

## XX.

Ex Antithetorum in creatis naturâ requiritur, ut cum omnia corpora, vel propter corpora comparata sint mortalia; Spiritualia his opposita sint immortalia.

## XXI.

Homo *μικρότερον* utriusq; mundi Intelligibilis & sensibilis imaginem refert. Mundi in corporis structurâ & compage, DEI verò in Spiritu & mente.  
Homo

Homo ergo immortalitate animi, æternitati creatoris sui respondet, & cum Deus mundanus non sit, neq; anima corporalis erit.

XXII.

Testatur hoc conscientia Character humanae animæ inustus, perpetrato scelere repente evigilans, potissimum in decretoria mortis hora, cum omnia scelera totâ vitâ commissa, teste Platone, ante oculos sistit, & poenam jam jam secuturam denunciat.

XXIII.

Triplex etiam in homine vita immortalitatem animæ liquidò demonstrat. Embryo in utero matris vitam plantæ, vegetativam; homo in mundo hoc sensibili vitam cum brutis communem, sensitivam vivit. Reliqua est mens, quæ cum in mundo hoc se dignum obiectum non inveniatur; in futurâ vitâ æternâ, in Mundo intelligibili DEO demum inveniet.

XXIV.

Providentia etiam DEI, quæ in omnibus, etiam minutissimis, arctissimè cum Immortalitate coheret. Cum sine hac nobilissimum omnium mundanorum, homo, omnium esset infelicissimum; cum primis autem omnes boni & pii.

XXV.

Homo etiam Deum esse cognoscit, eumq; tanquam summum bonum naturaliter appetit. Quæ cognitio & inclinatio in naturam mortalem non cadit.

XXVI.

Deum enim esse, eumq; colendum esse omnium.

animis à naturâ insculptum est. Quis autem colendum putaret, qui sui post mortem nihil superesse arbitretur?


XXVII.

Atque adeo DEVM ESSE, PROVIDENTIAM ESSE, ANIMAM IMMORTALEM esse, filium illud est, quod nulla necessitas rumpet. Deo æterno, qui æternâ suâ providentiâ omnia, & immortales hominum animas creat, regit, & conservat laus, & gloria.

Amen.













Homo ergo immortalitate animi, æter-  
ris sui respondet, & cum Deus mundi  
neq; anima corporalis erit.

XXII.

Testatur hoc conscientie Chara  
animæ iniustus, perpetrato scelere r-  
lans, potissimum in decretoriâ morti  
omnia scelera totâ vitâ commissa, test-  
te oculos sistit, & pœnam jam jam  
nunciat.

XXIII.

Triplex etiam in homine vita imm-  
animæ liquidò demonstrat. Embryo  
tris vitam plantæ, vegetativam; homo  
hoc sensibili vitam cum brutis commu-  
vam vivit. Reliqua est mens, quæ  
hoc se dignum obiectum non inveniatur  
tâ æternâ, in Mundo intelligibili. De-  
veniet.

XXIV.

Providentia etiam DEI, quæ in om-  
minutissimis, arctissimè cum Immort-  
ret. Cum sine hac nobilissimum om-  
norum, homo, omnium esset infelicitis  
primis autem omnes boni & pii.

XXV.

Homo etiam Deum esse cognoscit,  
quam summum bonum naturaliter ap-  
cognitio & inclinatio in naturam mo-  
cadit.

XXVI.

Deum enim esse, cumq; colendum

